QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM CADOMENSIS ACADEMIÆ.

PRÆSIDE M. MATTHÆO MAHEVLT DE VAVCOVLEVRS, REGIS CONSILIARIO, ORDINARIO MEDICO ET PROFESSORE REGIO.

32.

An Hæmorrhagiæ Magnes?

QVEMADMODVM sanguis intra propriæ naturæ cancellos positus, omnium penè bonorum in humano corpore author existit: sic vbi hos transilijt, omnigenæ calamitatis opifex est: vix in statu suo naturali & ipsi debito perexiguâ quadam temporis intercapedine perseuerat: decidit ex eo perquàm facilè, sternitur ipsi quoquoversus præceps & lubrica via, quâ deflectere & aberrare promptum est: hinc stat ἀκρασία, inde materiæ nimia vbertas adest, quocunque peccauerit modo, μέγα τὸ ἁμάρτημα. Cùm præsens est ἀλῳπεκία & fuliginum prædita πέλοδος, feruores insuetos concipit, æstúque propè inextinguibili corripitur. Friget interdum & quasi in purpureum glaciem concrescit, vel ob subtiliorum particularum caloris fomitum deperditionem & exhaustum, vel ob ambientis summum algorem, vel ob materiæ ex qua conflatur, parilem immoderationem: addas & θυμόν, quæ motum eius sistunt, illum πήγνυσι ἢ ἀκίνητον ἢ χάσμιον ποιέουσι: itidem aliàs humescit ac succescit nimio plus, tum quia humorum pariter δύσκρατον miscellam habet, tum quia forinsecus aër non dissimili excessu laborat. Patet & hisce iniurijs caliditas natiua, neque enim incrementi ac decrementi vicissitudinum immunitas ipsi data. Verùm cum sanguine (qui huius est forsan ὑποκείμενον, ne dicam ipsum inest ἔμφυτον τὸ θερμὸν) vnâ abundat, & vnâ deficit.

VT Homo ab omni ægritudinum incursione securus degat, intemerata sanguinis crasis non sufficit, copia laudabilis insuper desideratur; bonus siquidem exuperans, vel grauissimorum affectionum creator: vbi modum seruat, tunc vt est facultatum instrumentum, virium firmitudo, ingenij acumen & φρόνησις: sic dum regurgitat, quantas strages spretâ partium dignitate & vtilitate nusquam non edit? Copiosior factus inualescente calore supra modùm exæstuat, freti ritu intra vasorum littora feruet, ebullit, spumas agit, mox claustra, quibus includitur, disrumpere non potens, furit huc & illuc, tumultuario motu concitatur, effrenatus præcipitatur vsquequò partem, quam seu natiua, seu alcitritia infirmitas tanto impetui ferundo imparem fecerit, offendens, eam impetat, inuadat, obruat, & ita σύντομον φόνον, cùm ipsâ deficiente stare nescit vita, afferat, aut iam mitior factus hæreat inibi, motuque destitutus incendio conflagret, putrescat, Febrem accendat, & molestias, quas phlegmone inuehere assolet, accersat. Nec his autem terminis sæpe continetur eius furor, vlteriùs progreditur, solita stadia remetiri abnuit, positos à natura sui motus carceres effringit, metas transgreditur, ac tandem non quâ data, sed quâ vis viam fecit, portâ ruit.

CVm sanguis non ex vna sede prodeat, hinc non vna eius profluentis nomenclatura est. Vbi eum ὑπερέχεται κεφαλαὶ τῆς ἐν ἀρχῷ φλεβὸν ἀκοντίζυσι, hæmorroïdum nomen meretur; vbi verò Lunaris circuli in exitu suo est obseruator, καταμηνίων nomine donatur: sicut & qui è Pulmonibus eructitur, αἱμοπτύσεως nomine venit; at qui κατὰ τῆς ῥινῶν exit, si tenui filo & guttatim ἀπόστᾳξις ἢ ἄθροος αἱμορραγία vocitatur. Neque enim ex ore, Ventriculo, Thorace, Renibus, & Vesica fluenti Hæmorrhagiæ appellationem rectè indideris. Qui ex naribus erumpit, non ex solis surculis vasorum cerebri basim & palatum perreptantibus effunditur, sed & frequenter ex propaginibus à tertio sinu crassæ meningis productis exprimitur, quos quidem pro more suo referant ἀναστόμωσις, ἀλφίστεις, & ἀλῳπόδησις. Etsi namque Venæ & Arteriæ sanguinis non magis αἱμωδὴ sint quàm φυλακὴ, cùm agentium ex solo naturæ ductu, idem sit mansionis & conseruationis locus: nihilo tamen secius aut copiâ suâ vasa immodicè distendendo, oscula ipsorum dehiscere cogit, aut acritudinis suę aculeis erodendo aperit, aut nimiâ tenuitate exudando ad corruptelam foras elabitur: quouis excernatur loco, dummodò naturâ duce & gubernante illud perficiatur, critica habetur excretio, quæ in qualitate exeundi modo & tempore vt ritè se habet, ita & consectariam ὠφελείαν, quâ sine quid de facta euacuatione iudicet Medicus, vix nouit, secum ducit: secus omnino symptomatica, quæ non ἀνυπαίτιος, sed naturæ ἐφεδρισμῷ suboritur.

NEc periodicæ, nec sapienter à naturæ institutæ hæmorrhagiæ vllos obices Medicus cautus circumspectus-ve obtrudit. Sed vt salutis fautricem, ægritudinúmque vindicem optimam sinit & veneratur; Symptomaticam verò, cuius horrendi asseclæ caloris intuiti νέκρωσιν, virium exolutionem, spasmum, desipientiam, ἀκροτηρίων πελιδνότητα, ac denique repentinum fatum interminantur, toto studio & operâ inhibet, ac compescit; & sanè quibus id præstet, non desunt auxilia, tam formidoloso symptomati debellando, remediorum ampla seges & sylua occurrit, infinita ferme medicamenta suppetunt. Diætæticus cibum potumve infrigidantem, & modicè viscosum, somnum diuturnum, Aërem algidum, corporis quietem, animi tranquillitatem imperat, quin & terrorem aliquando incutit. Quauis ratione αἱπάσασιν instituit Chirurgus, factâ modò ex superioribus, modò ex inferioribus sanguinis per ἀποφόρησιν detractione; nec omittit duras frictiones, dolorificas ligaturas, cucurbitulas cum magna flamma, quas nunc dextro nunc sinistro hypochondrio affigit, provt dextrorsùm vel sinistrorsùm manauerit sanguis: idem hæmorrhoïdes trifido hirudinum morsu, vbi à cruoris ἀναδρομῇ metuit, sauciat. Ast cęteris fere præstant, quę ex pharmaciæ armamentario depromuntur præsidia, inter quę licet suam laudem mereantur Iulepi, potiones, ἀποζύματα ex varia refrigerantium familia repetenda, his tamen nihil inferior est lapis Heraclius, qui in diuersas medicamenti formas redactus multùm opis afferre potest.

MAgnes licet inanimus, sexus tamen discrimina agnoscit: mas est vel fœmina: primas tenet, qui colore cæruleus quique natalitia è solo Æthiopico ducit. Hic vt manifestas qualitates frigiditatem & siccitatem possidet, sic pleraque ineffabiles & occultas in se recondit. Trahit ad se rerum domitricem materiam, ferrum, fugat & respuit itidem. Familiaritati substantiæ aut ὁμοιότητι forsan tribueres, nisi qualitates è diametro oppositas & ἀνυπάτους in eodem subiecto amicè hospitari Philosophis perinde ac Medicis, aliquid insolens & inusitatum crederetur. Perperam in venenorum Classem amandaretur, qui lotione præparatus, & ex vino cum conseruis ac pulueribus cardiacis assumptus, aduersus ferruginis venenositatem alexipharmacum est. Accedit μαγνησίας λίθῳ vis cathartica, quâ crassum, viscidum, pituitosumque succum innoxiè foras exterminat: fortè nec hallucinabatur, qui sideritim retardare senium, & ἀμέραντον iuuentam facere ratus, vasis ex ipso confectis edulia, quibus veseeretur, incoqui iubebat. Verùm potissima eius virtus, quæ hæmatiti similis est, in sistendo sanguinis fluore elucet, siue per se solum instar alchool læuigatum, & cum oui albumine agitatum, præmissâ tamen ritè Venæ sectione, siue cum alijs eiusdem efficientiæ medicamentis mixtum, formâ anacollematis, vel vnguenti vel emplastri, conuenienti loco admoueas. Hâc vnâ cumprimis viâ cruoris impetus refrænare, abeuntem vitæ thesaurum retinere, & imminens fatum remorari licet. An vt verum ἴσχαιμον, sic manu detentus partus accelerator, & collo pendens spasmi amuletum habendus.

Ergo *Hæmorrhagiæ Magnes.*

Has suas Theses faciebat & proponebat DAVID TELLES *Auribecanus, die 24. Octob. ab 8. ad meridiem.* *A. R. S. H. M. DC. LXIV.*

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum, 1664.

R.M.P. BIBLIOTHEQUE